



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Exercitium Perfectionis, Et Virtutum Christianarum

In tres Partes distinctum

Rodríguez, Alonso

Coloniæ Agrippinæ, 1622

Cap. I. De thesauro & magnis bonis, quæ in Christo habemus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40093



TRACTATUS SEPTIMVS.

DE THESAURO ET MAGNIS

BONIS, QUÆ IN CHRISTO HABEMVS.

Et de modo in meditandis sanctæ eius
passionis mysteriis seruando, &
fructum inde nobis
eruendo,

CAPVT I.

*De thesauro & magnis bonis, quæ in Christo
habemus.*



*T*ibi venit plenitudo tem-
poris, misit Deus filium su-
um factum sub lege, vt eos,
qui sub lege erant, redime-
ret; vt adoptionem filiorum
Dei reciperemus. Dicit S.

Apostolus Paulus: Alia omnia tempora
gratiæ inania fuerunt, hoc tempus ea &
donis spiritualibus plenu est, & propterea
bono iure tempus legis gratiæ dicitur,
hoc enim nobis hæc gratia data est, quæ
est fons, principium & origo omnium
gratiarum. Misit Deus filium suum homi-
nem factum, vt nos à peccato liberaret, &
à potestate & seruitute diaboli sub qua
eramur redimeret. *Nunc princeps huius
mundi eicietur foras, vt nos cum Deo in
gratiam reduceret, vt nos filios suos ado-
ptiuos efficeret, vt nobis cæli portas,
quas peccatum occluserat, aperiret. Post
calamitosum illum primorum paren-*

tum nostrorum lapsum, quo sibi &
nobis beatum iustitiæ originalis sta-
tum amiserunt, in quo à Deo creati e-
rant, & infinitis miseris se & posteros
suos subiecerunt. *Deus fecit hominem re-
ctum, & ipse se infinitis miscuit quaestionibus,*
vnum ipsis reliquum fuit solatium, inter
tot tribulationes, quod postquam Adam
peccauerat, Deus serpenti maledicens,
promiserit certo se tempore vnigenitum
suum daturum, qui factus homo, & pro
nobis passus, malis illis eriperet, in quæ
ob peccata cecideramus. *Inimicitias ponã
inter te & mulierem & semen tuum & semẽ
illius, ipsa cõteret caput tuum.* Hoc promif-
so, valde consolati fuere, pœnitentiam-
que egere, & filios suos docebant, quod
felicem statum, quem habuerant, amisif-
sent ob peccatum, sed Redemptor ventu-
rus esset, cuius virtute seruarentur. Hoc
promissum post Deus saepe confirmauit,

ee 3 præ-

praesertim his, qui plus ceteris placuerunt
vt Abraham, Iacob & Dauid, pollicens,
Seruatorem ex eorum femine nascitu-
rum. Idque tota Iudaeorum religio doce-
bat, & Prophetæ mira de hoc aduentu
praedicebant, eumque multis clamoribus
suspiriis & orationibus exspectabant: *E-*

Isai. 16. 1.
Isai. 64. 1.
Isai. 45. 8.

mitte Agnum Domine Dominatorem terra
Vtinam dirumperes caelos, & descenderes:
Rorate caeli de super, & nubes pluant iustum,
aperiatur terra, & germinet Saluatorem. Et
in Canticis Sponsa optabat & dicebat:

Gen. 3. 1.

Quis mihi det te fratrem meum, fugentem v-
bera matris mee, vt inuentiam te foris, & de-
osculet te, etiam me nemo despiciat? quan-
do quidem Deum fratrem habeo. Et hæc
erat gentium exspectatio: *Et ipse erit ex-*
spectatio gentium. Vt captiui redemptionem
exspectabant, & hac spe alebantur,
& in virtute eius, qui venturus erat pec-
cata remittebantur, vt enim nos credi-
mus illum venisse, sic ipsi, illum venturum
credebant, & ideo nominabant eum, qui
venturus est: idque illud ipsum est, quod
petebatur à S. Iohanne Baptista: *Tu es qui*

Matth. 11. 3.

venturus est an alium exspectamus?
Vbi ergo venit plenitudo temporis,
dum iam hora aderat, qua Deus decreue-
rat magnam hanc mundo misericordi-
am exhibere, misit filium suum vnigeni-
tum. Noluit Deus statim remedium mit-
tere, vt homines magis exploratam suam
haberent miseriam, & remedium efflagi-
tarent, & pluris aestimarent, cum daretur.
Frequenter non vult nobis mederi Deus,
nec nos consolari, vt nostram insufficien-
tiam agnoscamus, & quã nobis necesse sit
ad Deum cõfugere, & nihil nobis adscri-
bere. Postquam ergo decreuerat Deus no-
stris miseris mederi, & venit illud tam fel-
ix & desideratum tempus, quo nullas dig-
ne & debite, lapsum illum reparare, nisi
ipse Deus, poterat nec fat virium haberet
homo, vt suggeret, nec quidem Angelo-
rum vires sufficerent, vt hominem erige-
rent, diuinis opus erat viribus, & quia re-
dempto, cum culpæ satisfactione facien-
da erat, & hæc satisfactio pœnaria esse &
passiua debebat, Deus vero in sua substan-

tia & natura pati non poterat, inuenit di-
uina sapientia hoc medium & mirandam
inventionem vt filius Dei homo fieret, &
duabus naturis, diuina scilicet & huma-
na in vnã personam vnitis, ipse hoc ma-
ximi ponderis negotium redemptionis
humana perficeret. Inuentio sane sapien-
tiæ & bonitatis plena, quæ Dei magnitu-
dinem & infinitam potentiam declararet
clarius quam aliquod eorum operum,
quæ in mundo fecerat. Ideoque à Deo
petit Propheta: *Excita potentiam tuam, &*
veni, vt saluos facias nos. Petiit vt in hoc ad-
uentu potentiam suam demonstraret, opus
enim maiorum virium erat, quam in
mundo Deus facere poterat. Hinc San-
ctus Augustinus ait, magnum fuisse opus
mundum creare, & tam perfectas creatu-
ras, & potestatis eius signum fuit, & pro-
pterea Ecclesia canit: *Credo in Deum Pa-*
trẽ omnipotentem Creatorem celi & ter-
ra? redemptioni tamen mundi compa-
rata, quasi nihil est.

Hincque est, quod Dauid creatio-
nem nominet opus digitorum Dei. *Qu-*
niam videbo caelos tuos, opera digitorum
tuorum, lunam & stellas, qua tu fundasti.
Psalmo octauo, versiculo quarto.
Dum vero fit mentio de redemptione ge-
neris humani, vocatur opus brachii: *Fe-*
cit potentiam in brachio suo. Quantum in-
ter brachium & digitum interest, tantum
& inter vnum & alterum onus. Et non
solum hoc opus Dei potentiam & magni-
tudinẽ, sed & hominis ostendit, & quã-
ti illum faciat, & multo pluris, quam in
creatione.

Hincque ait Ecclesia: *Deus qui huma-*
na substantia dignitatem mirabiliter condi-
disti, & mirabilius reformasti. Multum de-
dit homini Deus eum creando, sed plus
dedit redimendo. Dicit Sanctus Leo Pa-
pa; Deum hominem ad altissimũ statum
extulisse, dum illum ad imaginem & simi-
litudinem suam creauit, sed magis illum
extulisse & nobilitasse, dum se, Deus
non solum ad hominis imaginem & si-
militudinem, sed verum hominem fa-
ceret.

Tanta

Tanta & tam innumera bona ex Dei incarnatione vt nos redimeret, sumus assecuti, vt & culpam Adæ mundo vtilem reputare oporteat. Sicut Ecclesia Sabbato sancto in mentis excessum rapta compuncta & Sponso suo se oblectans canit: *O felix culpa, quæ talem ac tantum meruit habere Redemptorem! O certe necessarium Adæ peccatum, quod Christi morte deletum est!* O felix malum, ex quo tantum ad homines manauit bonum! O felix infirmitas, cui tali medicina medicatum est! Plus nobis per Christum datur, quam per Adam ablaturum est. Maius est redemptionis emolumentum, quam culpæ detrimentum. *Non sicut delictum, ita & donum:* Romanorum 5. versiculo 15. ait Sanctus Apostolus Paulus ponderans maiorem fuisse gratiam, quæ mundo per Christum collata, quam damnum, quod Adæ culpa illatum est. Et Sanctus Bernardus idem Sancti Pauli allegans testimonium ait: *Vehementer quidem, Dilectissimi, vir vnus & mulier vna nocuere, sed gratias Deo, per vnum nihilominus virum, & mulierem vnam (quæ Christus & virgo sunt) omnia restaurantur, nec sine magno favore gratiarum, neque enim sicut delictum, ita & donum, sed excedit damni estimationem, beneficii magnitudo.* Innumera & ineffabilia sunt bona & thesauri maximi, quos in Christo habemus. Dicit Sanctus Paulus, à Deo sibi hanc datam gratiam, vt gentibus prædicaret & exponeret has diuitias & inestimabiles thesauros, dum ait: *Mihi omnium sanctorum minimo data est gratia hac, in gentibus euangelizare inuestigabiles diuitias Christi.* Hac gratia nos iam indigemus. Dicebat ipse Christus Samaritana: *Si scires donum Dei, & quis est, qui dicit tibi: Da mihi bibere. O mulier si gratia quem mundo exhibuit Deus, illudque tam excellens donum, tibi nota essent quod promiserit filium suum se daturum quam & dedit. Hoc donum doni nomine dignum est: hoc enim, omnia Dei dona comprehenduntur: Omnia nobis cum illo donauit. Vtinam donum hoc, & bona quæ*

in illo recipimus, noscimus & intellexeremus! Vtinam hanc nobis auri venam aperiret, si hanc nobis fodinam ostenderet & thesaurum hunc grandem declararet, quam diuites, quam felices essemus! Hanc Sancto Augustino Deus fecerat gratiam, hincque ille dicebat: *Domine, qui tibi ob creationis beneficium non seruit, infernum ille meretur, sed qui tibi ob redemptionis beneficium non seruit, nouo illo inferno opus est.*

Narratur de patre Magistro Auila tantum hic habitum contraxisse, vt si quis aliquod sibi à Deo impensum beneficium miraretur diceret: Non hoc mirare, sed potius obstupescere & mirare quod tam te amauerit Deus vt pro te homo fieret. *Sic Deus dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum daret.* Ioannis tertio versiculo decimo sexto. Nequibat Sanctus Apostolus & Euangelista Ioannes exprimere quanto altitudinis gradu Deus non amaret, sed amorem ex dono metitur. Ex summitate doni nobis collati, metiendus amor, quo nos dilexit; quantum enim donum, tantus fuit & amor. Deus ergo tantopere mundum dilexit, vt nobis filium suum vnigenitum daret, vt ille homo fieret, vtque illo moriente nos viueremus: *o mira circa nos tua pietatis dignatio* Canit Ecclesia: *o inestimabilis dilectio charitatis! Vt seruum redimeres, filium tradidisti.* Quis tale quid cogitare, quis tam temerarius esse auderet, qui apud Mautos captos, vt à Rege suo peteret: Domine, mitte huc filium tuum vnicum, vt hic inter infideles hos moriatur, vt me redimat. Quod ergo non auderet eloqui, nec imaginari, nec in cogitationem tuam cadere posset, Deus pro te facit.

Neque nos solum captiuitate liberauit, sed & ad filiorum Dei dignitatem extulit: nostram induit naturam, vt suæ nos participes redderet, Deus se hominem fecit, vt nos Dei filios faceret. *Videte qualem charitatem dedit nobis Pater, vt filii*

Augustinus.

In Sabbato sancto.

Christus factus est homo, vt nos faceret filios Dei.

1. Ioan. 3. 3.

filii

filii Dei meminemur & simus (dicit S. Ioannes) utque vere Deum Patrem nominare, & Iesum Christum eius filium fratrem possimus. Ideoque ait S. Paulus non dignatur nos ut fratres habere, & nominare. *Propter quam causam non confunditur fratres eos vocare, dicens. Nunciabo nomen tuum fratribus meis.* Sed potius videtur ille gloriari, & sapius hac voce utitur, & pleno ore fratres nos nominat. Quid ergo amplius exoptandum ei, qui Deum patrem & Iesum Christum fratrem habet, in quorum manib. omnis potestas in caelo & terra est: *Data est mihi omnis potestas in caelo & in terra?* Dum fratres Ioseph videbant eum in Aegypto in summo dignitatis gradu collocatum, & toti Aegypto dominantem, & Pharaonem omnia regni negocia per ipsum expedientem, dum dicerent. *Ite ad Ioseph* postquam Ioseph eos eo metu, quo ab eis sibi illatam iniuriam correpti erant, liberasset, & necessaria quaeque offerret, & diceret: *Nolite timere, ego pascam vos;* quam laeti & hilares erant? Omnes ad se accedere voluit, curus dedit, quibus bona sua adueherent: *Venite ad me, & ego dabo vobis omnia bona Aegypti.* Genes. 45. versiculo 18. Idem & nobis facit Christus Seruator noster, qui frater noster est, & nos amat plus, quam Ioseph fratres suos, omnes nos secum ducere vult. *Pater quos dedisti mihi, volo & ubi sum ego, & illi sint mecum.* Ioannis 17. versiculo 24. Dicit ipse apud Sanctum Ioannem. *Currus dat, ut eo veniamus, quae tot Sacramenta & laetitia sunt, ut eo perueniamus.*

Christus & noster redemptor est & mediator apud Deum.

Sin transgressiones & peccata, quae in illum commisit, se offerat, cum illa propter poenitentiam oblitus est. Idque non sufficit, sed praeterea mediator noster est & intercessor apud Deum Patrem, ut misericordiam & veniam impetret. Hocque ipso nos confirmat Sanctus Apostolus & Euangelista Ioannes: *Filioli hac scribo, ut non peccetis, sed & si quis peccauerit, aduocatum habemus apud patrem Iesum Christum iustum,* 1. Ioannis 2. versiculo 1. Et Sanctus Apostolus Paulus dicit, ideo

Christum caelos ascendisse, ut officio aduocari & patroni pro nobis fungatur ante Patris tribunal. *Ut appareat nunc vului Dei pro nobis.* Hebraeorum 9. versiculo 4. Affirmat S. Bernardus eum in caelo Patris caelesti vulnera monstrare & exhibere dicens, illa se nostri causa eiusque mandato accepisse, ne permittat perdi, quod tam caro emptum est. Vti sanctissima Angelorum Regina benedicto filio suo ostendit vbera, quae luxit, pro nobis intercedens; sic & filius vulnera caelesti Patris, quae pro nobis accepit, ostendit. Hanc dicunt Sancti causam esse, quod post gloriosam resurrectionem voluerit eorundem signa & foramina superesse.

Refert Sacra Scriptura post mortem Iacob fratres Ioseph adiuisse, verentes ne iniurias sibi illatas, quas viuente patre non vlus erat, vlsceretur, & dixisset: *Pater noster mortis suae tempore nullum filii maius optabat bonum, quam ut frater iniurias sibi illatas obliuiscatur & ignoscat, & Nos quoque oramus ut seruo Dei patri tuo dimittas iniquitatem hanc.* Bene notandum: iniurias patri non fuisse illatas, sed paternus amor filiorum delicta, sua facit. Eodem modo & Christus Seruator noster, magno illo erga nos amore scelera & peccata nostra, sua facit, quando quidem illa in se suscepit, & nobis fideiussor factus est. *Posuit Deus in eo iniquitatem omnium nostrum.* Et iniquitates eorum ipse portabit. Esaias 53. versiculo 6. & 11. Dicit Isaias, Eamus ergo & nos eadem cum legatione & petitione ad aeternum Patrem, & dicamus ei: *Pater aeternae, dimitte filio tuo Iesu Christo haec mea peccata, nihil illi hora mortis magis commendatum fuit. Pater dimitte illis, non enim sciunt, quid faciunt.* *Quis ergo iam de venia desperet? Habemus sanguinis adspersionem melius loquentem quam Abel.* Dicit Apostolus Paulus. Habemus Christi sanguinem, qui pro nobis clamat melius, quam sanguis Abel, hic enim clamat & vindictam petit; sanguis vero Christi misericordiam clamat illis, pro quibus effusus

sus est, & qui effunderunt. Dum ergo peccatorum & miseriarum tuarum multitudinem & copiam diabolus tibi ob oculos ponit, vt te ad desperationem & diffidentiam redigat; tu oculos in Christum dirige, & imaginare, illum te manu ad Patrem ducere, & pro tereponderere & loqui, vt aduocatum & patronum, & confusionem verecundiamque tuam suis meritis & officiis Patri exhibitis tegere, & velare. Hoc modo novum rursus animum recipies, & diffidentia in spem vertetur, & tristitia in laetitiam, ipse enim nostra est iustitia, sanctificatio & redemptio, vt Sanctus Apostolus ait: 1. ad Corint. 1. vers. 30. *Qui factus est nobis iustitia & sanctificatio & redemptio.*

Sanctus Ambrosius inquit: *Omnia inquitur habemus in Christo, & omnia Christus est nobis. Si vulnus curare desideras, medicus est. Si febris astuas; fons est. Si grauari iniquitate; iustitia est. Si auxilio indiges; virtus est. Si mortem times; vita est. Si caelum desideras; via est. Si tenebras fugis; lux est. Si cibum quaris; alimentum est.*

Quodcumque desiderare potes, & quocumque indiges; in illo inuenies. Et alibi dicit: *Si in te surrexerit lupus; petram cape, & fugit: petra tua Christus est: si ad Christum confugias, fugit lupus, nec revertere poterit. Hanc petram quasi Petrus, cum cecidisset in fluctibus, & inuenit, quod quasi Petrus, quia dexteram amplexus est Christi, & a periculo liberatus est.*

Sanctus Hieronymus in illud Pauli. *De cetero fratres confortamini in Domino, & in potentia virtutis eius, induite vos armaturam Dei, vt possitis stare aduersus insidias diaboli;* dicit ex eo quod sequitur, & ex omni eo, quod in Sacra Scriptura de CHRISTO Seruatore nostro legitur, manifesto colligi, arma omnia, quibus nos Apostolus iubet indui, esse Christum Seruatorem nostrum: quasi diceret *Induite IESUM CHRISTUM.* Et probat, quomodo Christus lorica, galea, thorax, scutum, & anceps noster gladius

Rodriguez exercit. pars 2.

est, & framea *virique parte acuta:* & omnia reliqua arma. Apocal. 1. v. 16. & cap. 2. v. 12.

Hinc arma nobis induenda, quibus nos armare debemus, vt omnibus tentationibus diaboli resistamus, & contra eius fraudes & insidias nos muniamus, & victoria potiamur; sunt Christi virtus; sic, vt Christus nobis omnia sit, & omnia in illo habeamus. Vtque illud euidentiis intelligamus; Sacra Scriptura innumera illi nomina dat: cuiusmodi sunt: Rex, Magister, Pastor, Sacerdos, Medicus, Amicus, Pater, Frater, Sponsus, Lux, Vita, Fons, & alia similia. Sicut enim in illo sunt omnes thesauri sapientia & scientia

absconditi (vt ait Sanctus Apostolus Paulus) eodem modo & nostri thesauri & diuitiae in illo sunt reconditi, in ipso enim omne nostrum bonum & remedium constitutum est, & si opera nostra alicuius sint meriti, ex ipso est, ipsiusque sanguine tincta, valorem habent. Vt S. Iohanni in Apocalypsi dictum est, omnem illam multitudinem, quam ante thronum DEI videbat, albis & fulgidis vestibus indutam, & habentem palmas in manibus; illos fuisse, qui *vestes suas lauerunt & dealbauerunt in sanguine Agni.*

Omnia bona nostra, sunt vt partes & reliquae quaedam diuitiarum Christi. Quaecumque nobis adueniunt bona per illum veniunt, & eius merita. Per illum a tentationibus & periculis eripimur, per illum omnes virtutes consequimur, denique omnia in Christo habemus, & per CHRISTUM omnia nobis impetranda sunt.

Ideoque Ecclesia omnes orationes & petitiones claudit & finit, dicens: *Per Dominum nostrum Iesum Christum, secundum illud Prophetæ: Protector noster aspice Deus, & respice in faciem Christi tui.* Ignosce peccatis nostris per amorem, quo illum prosequeris, quandoquidem pro iisdem in cruce mortuus est. Conuertere oculos in vulnera, quae pro nobis accepit, & nostri miserere. Si Abraham, Iacob & Dauid tantum seruitio suo efficere

ff potuc-

potuerunt in Dei presentia, ut illum placarent, & manum teneret, ne populum castigaret; idque non solum impetrarint, sed & ut eorundem intuitu & causa, multis eundem beneficijs & gratis afficeret, ut videre est, Deum multis locis dixisse & declarasse: *Propter seruum meum*

Esaiā 45. 4. & 4. Reg. 19. 34. *Iacob & Israel electum meum, & propter David seruum meum.* Quanto plus Pater æternus propter **IESVM CHRISTVM** filium suum faciet, in quo sibi complacuit, ut ipsemet his verbis testatur: *In quo mihi bene complacuit.* Hinc ait Sanctus Apostolus Paulus: *Gratificauit nos in dilecto filio suo.* Et ipse Christus dicit & affirmat, quod quodcumque Patrem in eius nomine petemus, se facturum, nam

Matth. 17. 5.

Ad Eph. 1. 9.

Ioann. 14. 13.

ait: *Quodcumque petieritis Patrem in nomine meo; hoc faciam, ut glorificetur Pater in Filio.*

Luca 10.

Quanto iure Angelus ad Pastores aiebat ipso natiuitatis Christi die, & per illos ad nos: *Ecce enim euangelizo, vobis gaudium magnum, quod erit omni populo, quia natus est vobis hodie Saluator, qui est Christus Dominus.* Et non vnum hoc, sed multa gaudia & bona sunt. Mouet hic Origenes quaestiones, quare loquente Esaiā in singulari: *Annuncians bonum;* Sanctus Paulus hunc locum allegans in plurali dicat: *Euangelizantium bona;* respondet Christum non vnum solum, sed omnia bona esse. Ipse salus nostra, vita nostra, resurrectio nostra, lux mundi, veritas, via porta cæli, sapientia, potestas & omnium bonorum thesaurus est, pro nobis natus, pro nobis mortuus est, ut viuamus, pro nobis resurrexit, ut resurgamus, pro nobis cælum ascendit: dixit enim: *Vado parare vobis locum.* Et expedit vobis, ut ego vadam. Et inde S. nobis misit Spiritum. *Dedit dona hominibus.* Et à Patris dextera, vbi sedet, continuos nobis fauores & gratias mittit.

Esaiā 52. 7.

Ad Rom. 10. 13.

Christus omnia nostra causa fecit.

Ioann. 14. 2.

Ioan. 16. 7.

Ad Eph. 4. 4.

Cyprianus.

Inquit S. Cyprianus, & hanc causam fuisse, quod vulnerum loca cicatricibus obducta non fuerint, sed aperta manserint, ut demonstrarēt foramina hæc, quasi fontes gratis & thesauris fluentes man-

fuisse & continuo maxima cum liberalitate fluere & manare, ut sicari non possint. *Manus eius tornatiles, aurea, plena, hyacinthis.* Aureas manus & lapidibus pretiosis plenas habet, & quia perforatas, manant ex foraminibus, dona. Concludamus ergo eo, quo Sanct. Apostolus Paulus modo concludit: *Habentes ergo Pontificem magnum, qui penetravit caelos, Iesum Filium Dei, qui sedet ut mediator & intercessor ad Patris dexteram, & ei æqualis est: Adeamus cum fiducia ad thronum gratia eius, ut misericordiam consequamur, & gratiam inueniamus in auxilio opportuno.*

De S. Bernar. in eius vita legito, quod in quadam ægritudine quam habuit, raptus sit in extasin, & videbatur sibi ante Dei tribunal duci, & se ibi à diabolo accusari, & dici, quod gloriam non mereatur. Cui Sanctus respondit: Fateor me gloria indignum esse, sed Domino meo **IESVM CHRISTO** illa debetur, & duplici ille titulo caelos possidet; prior, quod vnigenitus Patris æterni sit, posterior, quod illos sanguine suo mercatus sit, Patri obediendo vsque ad mortem. Ipse prior horum duorum titularum contentus est, & posteriore mihi donauit, cuius virtute ius meum in caelos vendico, & in hoc confido. Hoc responso Diabolus confusus est, & iudicij forma & tribunal euauit, & Sanctus ad se rediit.

Huic ergo nobis confidendum est, & omnis eo spes dirigenda. Iacob & maioris natus fratris veste indutus benedictionem à patre obtinuit, vestiamus & nos **IESVM CHRISTVM** fratrem nostrum maiorem, tegamus nos pellicibus agni immaculati, ipsius meritis & passione nos muniamus, hocque modo æterni Patris benedictionem consequemur.